



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata  
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem  
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.  
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum  
festiuitatibus habitae

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII**

Iesu mortem elementa hominesque pla[n]gunt art. & hom. LIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

hunc statum mentis te ipsum refutue, quo non timeas mori. Tertio iam in vita dum sanus es, sapius præmeditare mortem, ne mors vnquam inopinata tibi aduenire possit, quin semper inueniaris paratus. Nunquam in eo statu perseueres, nunquam dormire præsumas in eo statu, quo non audeas mori. Dum sanus es. Deum inuoca, pro bona felicitq; morte Deum ora. Commenda te ipsum Deo, offer pro peccatis tuis eidem passionem eius ac mortem, vt cum ad illam horam, qua exeundum est veneris, assuetus sis doctusq; ad Deum te conuertere, Deum inuocare, teq; illi in eius manus offerre.

Mors quomodo præmeditanda sit dum sanus sumus.

*IESU MORTEM ELEMENTA HOMINESQUE  
plangunt. Articulus LIII.*

**E**T ecce velum templi scissum est medium in duas partes, à summo vsque deorsum. Et terra mota est, & petra scissa sunt. Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius, venerunt in ciuitatem sanctam, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eorant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his que fiebant, & quia sic clamans expirasset, timuerunt valde, dicentes: Verè hic homo, Filius Dei & iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè. Erant autem & ibi mulieres, quæ secutæ erant eum à Galilæa ministrantes ei, de longè hæc aspicientes. Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph marer, & Salomæ, & filiorum Zebedæi mater, & alia multa, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam.

Matth. 27.  
Marc 15.  
Lucæ 23.

*HOMILIA LIII.*

**C**Hristo mortuo, facta sunt miracula multa, quæ Christi testabantur diuinitatem, & iniustam ipsius occisionem. *Velum etenim templi scissum est à summo vsque deorsum.* Iuxta quorundam opinionem, hoc velum templi fuisse perhibetur, quod ante sancta sanctorum pependit, quo velo arcebat aspectus vulgi, ne arcana viderent & sancta templi, arcam videlicet & reliqua. Indicabat autem hæc veli scissio, qua arcana nudabantur templi, legalia atq; vetera, quæ figura duntaxat erant futurorum, iam esse finita atque impleta. Significatio enim eorundem, erat in morte Christi euacuata atque impleta. *Terra verò mota ac petra scisse sunt,* vt impleretur quod Christus dixerat Iudæis, quando ipsum Iudæi hortabantur, vt pueros Osianna clamantes prohiberet, eo die quo cum palmis recipiebatur in ciuitatem: *Dico vobis, inquit, si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Factum est, homines tacuerunt Christum. Non confessi sunt etiam Apostoli, & lapides clamant Christum. *Petræ enim*

Veli templi scissio quid significat.

Petræ in morte Christi scissæ qd clamant.

enim scissæ in Christi morte, quid aliud clamant, quam Christi innocentiam, quam iniustam eius mortem? Verum est igitur quod Christus dicebat, quod hominibus Christum tacentibus, irracionales creaturæ confiterentur. Monumenta quoque aperta scribuntur, & egressi ex illis homines, apparuisse mortuis. Quod resurrexerint mortui, non ante Christi resurrectionem ex illis monumenta, aut resuscitati intelligendi sunt: quia Christus primitiæ resurgentium, qui ante omnes resurgens, aliquot etiam secum in resurrectionis suæ testimonium fecit resurgere. Deinde quoque ex ijs quæ fiebant, hoc est, ex terræ motu & alijs signis, timore perculsi nonnulli homines penitentes, se ipsos damnabant, tundendo pectora sua, quod innocentis sese mortis fecissent participes, atque contra iustum Dominum Iesum à Pilato mortis impetrassent sententiam. Ex ijs Centurio & ij qui cum ipso erant, fuerunt: qui non parum hinc moti, quod clamans sic expirasset Iesus, dixerunt: *Verè filius Dei erat iste.* Virtus enim orationis Christi, qua pro illis orans dixerat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt,* operabatur eorundem illuminationem. Impleta sunt nihilominus, quæ ante passionem Iesus dixerat ad turbas, verba: *Cum exaltaueritis, inquires, filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.*

*Compassio qualis debeat Christum mortuo: quique ipsius passio sit memoranda.*

*Cōpassione  
quanta de-  
beamus ari-  
ci erga Chri-  
stum.*

**D**iscere debemus, quanta debeamus erga Christum compassione affici, quando quidem insensibilia illum plangunt: quantum ergo nos plangere debemus, quanto dolore Christi debemus lugere mortem, quantum inquit quæ idem passus est, causa sumus? Propter te ô homo afflictus, propter te esuriuit & sitiuit, propter te ieiunauit: propter te fessus, imbres, & frigus, gelus, sustinuit. Propter te verba audiuit probrosa, conuicia, contumelias, derisiones, blasphemias: propter te tulit vulnera, verbera, liuores, plagas, opprobria, tandem crucem, clauos & mortem. Vide nunc quam iustus sit, ut tu illi compatiaris, ut illum diligas, ut ei agas gratias, ut caueas quæ ille tibi prohibuit, quæ uè illum offendunt. Certè hæc Christi mors nunquam recedere deberet memoria nunquam à corde tuo eius dilectio. Semper enim cogitare debes, quantam tibi Christus exhibuerit charitatem, quantam tecum habuerit, & pro te quoque, patientiam: quanta propter te seruierit, quantavè tortoribus subditus fuerit humilitate, quam dura pro te sustinuerit, quam acerba, quam vilia, quam denique ignominiosa. Ruerà haud gratis, sed maximo nobilissimoque es precio emptus. Non igitur leuiter amittas, nec vile æstimes, quod à Christo tanta tibi difficultate, tanta charitate est partum. Secundò, si non sentis compassione erga Christum, cum insensibilia exhibeant luctum, argue te metipsum, quia te tu es frigidior, petra durior, monumentisq; scedior, qui, illis compatiens, non condoles Christo.

*Passio Chri-  
sti ut semper  
in memoria  
sit habenda.*